

num. 9. Generalia verba, quibus confirmationem & inuocationem nostrorum privilegiorum concessit (Paulus V.) aliquam restrictionem patiuntur: nam iuxta regulam 71. de Regulis Iuris in 6. in generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verosimiliter in specie concessurus. Sic supra ostendit Pontifex hanc prerogationem concessurum non esse, & iuxta argumentum L. Doli. D. de verborum obligat. concessio generalis non debet referri ad ea, in quibus specialiter est prouisum, ut iam specialiter erat in Indiciis privilegij quoad durationis terminum, &c. Quae omnia in casu praesenti pariformiter procedunt. Quod enim Pontifices id non essent in specie verosimiliter concessuri, constat ex eo quod nihil tale pro Europa concessum; & quod ab iis, qui privilegia postularunt, nihil est huiusmodi cogitatum, Indiarum tantum causam prosecutus. Quod autem circa Europam specialiter sit prouisum, ut nolint Pontifices in illius Prouinciis privilegia augeri, sicut in alijs, constat ex difficultate dispensationum erga illas, & quia diuerso iure censi volunt, ut ex eodem Auctore positum num. 125. Ad id autem quod dicitur de ratione aquae militante in Indijs & in Europa, possumus rogando occurrere, quoniam haec privilegia sint, in quibus eadem ratio militat, nulla enim designantur, sed nec designari possunt: quia cum privilegia remissionem Canonici iuris contineant, ex eo quod detecta Indiae sint, nulla apparet specialis ratio cur in Europa talis debeat remissio concedi, cum tamen detur, ut pro Indijs concedatur.

*Affertio 7. Inter Indos & Aethiopes dari privilegiorum communicationem.*

*Indiarum nomine locum regionem comprehendit.*

*Et Neophytorum nomine istis.*

129 Dico septimo. Non solum pie & probabiliter dici potest inter Indos & Aethiopes dari privilegiorum communicationem generaliter loquendo, sed pro certo habendum attentis Pontificum concessionibus & declarationibus. Nam Gregorius XIII. ut habetur in Compendio Indico, verb. India, in ordine ad usum privilegiorum Societatis sic declarauit; ut nomine Indiae Orientalis intelligantur omnes regiones & insulae, quae ultra Mauritiam versus Austrum & Orientem, ad Regem Portugalliae spectant, siue iure dominij, siue conquesta, siue commercij, & navigationis. Nominem autem Indiae Occidentalis, quidquid eodem iure Occidentem versus ultra Insulas Fortunatas, & Tertiarias, siue ad Regem Catholicum, siue ad Regem Portugalliae pertinet. Constat autem Aethiopicus tractus esse ultra terminos designatos. Licet autem declaratio praedicta fuerit per viuae vocis oraculum, non debet reuocata censi per Bullas Gregorij XV. & Urbani VIII. quia declarationes non reuocantur, ut probat P. Quintanad. Tractat. 5. citato, singulari 4. num. 6. Paulus etiam V. Urbanus idem, & Innocentius X. de privilegio in ordine ad dispensationes pro matrimonio Aethiopes Indis adnumerant: quorum concessionem non sunt ad praedictum effectum arctanda, neque ad Baptismum sine solemnitate conferendum, de quibus tantum videntur procedere: nam reuera ampliores sunt, ut constat ex tenore Bullarum: alia enim illis privilegia conceduntur. Et Neophytorum nomine comprehendendi constat ex illis verbis, quae in Bulla, quae incipit, Animarum salutis, habet Paulus V. Ac eisdem Christi fideibus vtriusque Indiae, & transmarinarum limitum, quo processionibus, & precibus &

agenas, Indorum, & Aethiopiae, seu quorumvis aliorum Neophytorum, &c. Similia apud citatos extant: cum ergo sic subditur: Idcirco tenore earundem praesentium decernimus & declaramus omnes oriundos seu naturales supradictarum omnium tam Orientalium, quam Occidentalium partium, immo etiam si Aethiopes, Angulani, vel quarumvis aliarum transmarinarum regionum, etiam si Christianorum filij, & in infantia baptizati, vel etiam inter se, vel cum Europaeis mixtam progeniti sint, ad concessionem huiusmodi effectum, esse & intelligi debere Neophytorum, &c. Cum inquam sic additur, concessio, ut dixi, non est ad matrimonia arctanda, sed ad omnia in Bulla eadem Neophytorum concernentia, contenta: omnia enim vnus concessionis nomine designantur. Quod quidem ex dubitatione propolita liquet, sic enim praemisimus: & insuper quia a nonnullis dubitatum fuit, an omnes & indigenae illarum regionum oriundi, & naturales, & Christianorum indigenarum etiam baptizatorum filij, etiam in eorum infantia baptizati, iure Neophyti appellari possint. Supra quae cadit responsio, nullam adhibita limitatione. Et quidem nulla erat ratio illam adhibendi, quandoquidem in illis totum id ad privilegiorum congruentiam extat, quod in Indijs pro eadem occurrit: immo & forte plus aliquid, quorum misera captiuitatis conditio talibus est leuaminibus confouenda.

*Affertio 8. Ideo statuens de Neophytorum omnium transmarinarum regionum.*

130 Dico octauo. Si qui alij Neophyti sint in transmarinis regionibus, ad eos est privilegiorum extendenda communicatio. Id probat ex citatis Bullis trium Pontificum, in quibus Saraceni alij Neophyti adiunguntur, ut possint ab omnibus peccatis absolui, etiam in Bulla Coenae contentis, sicut & quicumque alij diuersarum terrarum incolae, ad quas Hispani & Lusitani penetrant. Quod etiam est ad privilegia alia extendendum, ob similes rationes. In privilegio etiam circa dispensationes in matrimonijs sic dicitur, ut iam vidimus: vel quarumvis aliarum transmarinarum regionum. Et in Bulla Pauli V. circa matrimonia & Baptismum, cui alia est similis Urbani VIII. sic habetur: In quibusvis Orientalibus, Brasiliae, Perui, Nouae Hispaniae, & alijs ultramarinis regionibus, insulisque Oceani maris, &c. ut cum Neophytorum ibi existentibus, &c. Quod intelligendum iuxta dicta Affertione 6. ut etiam in Indijs, aut regionibus dictis, non existant, sed in Europa, aut alibi, privilegij vti possint, quia personalia sunt.

Dico vltimo. Circa mixtam progenitum videnda quae diximus Titulo 5. num. 244. & seqq. & relegendae concessio Pauli V. de qua numer. praecedent.

*Affertio 9. Ultima circa mixtam progenitos.*

CAPVT VII.

De communicatione Indicorum Privilegiorum inter Religiones.

Circa hoc non leues item difficultates, vnde nec leuiter, breuiter tamen, discutiendae succurrunt.

Prima

Prima est. An omnes Religiones communicationis privilegium habentes, possint in Indijs illo potiri.

Quod quidem eatenus dari potest, quatenus Religiones aliqua Sedem fixam in illis non habent, ex quibus tamen Religiosi nonnulli aduenire solent, vel cum Praelatorum licentia, vel forte aliquando sine illa. Pro quo & difficultatem specialem mouere potest licentia quidem Praelatorum sit, sed non Regis, aut e contra.

*Affertio 1. Religiosi gaudere privilegij in Indijs, etiam si sedem fixam non habeant eorum Religio.*

131 Dico primo. Si Religiosus cum licentia Regis & Praelatorum veniat, ut privilegij potest iuxta amplitudinem communicationis. Id probat; quia quod Religio aliqua non habeat Sedem fixam in Indijs, non inuenitur pro obstaculo appositum in aliqua Pontificia decisione. Et praeterea. Religiosus talis potest esse minister vtilis vineae Indiae, & pro dato sibi talento in eadem laborare: ergo & beneficijs illis frui, quae Ministris Indicijs communicata reperiuntur. Videatur P. Thomas Sancius in Opere Moral. Lib. 6. Cap. 8. num. 35.

*Affertio 2. Sufficere licentiam Praelatorum, etiam si Regis non sit.*

*Excommunicatio Alex. VII. cur non liget rationes entes.*

132 Dico secundo. Religiosus dictus cum licentia suorum Praelatorum veniens, potest etiam beneficio communicationis frui. Colligitur ex P. Sancio supra. Et probatur: quia licet ab Alexandro VII. fuerit lata excommunicatio contra transeuntes sine licentia Regis Catholici ad Indias Occidentales, ea modo non ligat, ut bene obseruat P. Quintanad. tom. 2. tr. 6. singul. 4. n. 2. post Emmanuelem Rodericum Tom. 2. q. 99. regul. 9. 99. ut ab eo citatur, sed reuera. 100. art. 7. & ratione addit ex eo quod non fuerit legitime promulgata; quod tamen incertum est: vel quia iam decidit a memoria hominum, & inuincibiliter ignoratur: quod etiam non videtur vigere, quia saltem ligabit eos, in quibus notitia illius fuerit, iam enim non dicuntur inuincibiliter ignorare. Aut quia non fuit lata per modum statuti perpetui, sed per modum sententiae, quae est ab homine, & cum homine finitur; & ideo iam cessauit. Quod minus est verosimile: nam ex tenore Bullae redargui potest, quae est illa celebris, de qua Titulo 1. Cap. 1. & seqq. in ea enim Pontifex cum accessum prohibeat sub excommunicatione latae sententiae, subdit: Absque vestra, ac haerodum, & successorum vestrorum praedictorum licentia speciali. Haec ille: iuxta quae euidentem apparet ultra vix suae spatium praecipuum extendisse, cum licentiam haerodum ac successorum habendam esse determinet. Dicit ergo potest poenam hanc non fuisse vlti receptam: cuius ratio esse potuit, quia donatio Pontificis ab omnibus probata non est, & circa eam docti aliqui dubitarunt: vnde & consequenter prohibitio navigationis, & ita poena excommunicationis non est executioni mandata: tum repugnantibus iis, quorum id intererat, tum ad denuntiationem numquam Ecclesiasticis iudicibus deuenientibus. Et tales esse aliquas in Iure, Doctores communiter obseruant, & frequentius in Extrauagantibus.

*Solida proponitur.*

*Non esse mortale sine licentia dicta transire, nec vti privilegiorum impedi.*

133 Hoc ergo circa excommunicationem constante, non videtur aliunde ex non habita licentia Regis privilegiorum usum impediri. Pontifex enim non impedit, cum licentiam petendam non iubeat rigoroso praepcepto: neque

Rex impedire ea potest quae ad forum interius spectant. Neque Episcopus, si alias Confessionum approbet, aut in iis, quae ad forum poenitentiae non pertinent, ob Religiosorum exemptionem. Neque Praelatus proprius, dum licentiam confert. Et cum talis, ut diximus, vtilis minister esse possit, de beneplacito omnium praedictorum est praesumendum, ut negotium publicum fructuosius peragatur.

134 Dico tertio. Si Religiosus sine licentia suorum Praelatorum ad Indias, aut regiones alias transmarinas se conferat, nequit beneficio communicationis potiri. Sic Doctores, quos adducit P. Sancius supra, id generaliter asserentes de quocumque modo recedentibus, quod & ipse videtur tenere, dum pro ratione, ut gaudeant illis, reddit licitam discessionem. Verum est tamen eundem num. 34. de Apostatis loquentem, affirmare iuxta Concilij Tridentini decretum Sessione 25. de Regularibus, Cap. 19. eos tantum privilegiorum participatione priuatos, qui recedunt a Religione habitum dimittentes, eod quod praetendant Professionem fuisse nullam. Ex quo sequitur de fugitiuis id potius asserendum, contra quos non inuenitur Pontificia alia dispositio, ut debeant privilegiorum participatione priuari. Sed nihilominus, quidquid de alijs privilegij sit, circa Indiae est ratio specialis: nam mens Pontificum talis esse videtur, dum Religiosos ad Indias eatenus transire volunt, quatenus tales sint, qui negotio amplificandae fidei deseruire possint, iuxta eas qualitates, quas Titulo 1. Cap. 3. digessimus: Probos, & Deum timentes, &c. quorum nihil in iis, de quibus loquimur, est videre. Et peccare eos grauius excusso obedientiae iugo communiter Doctores affirmant: pro quo videri potest specialiter P. Suarez Tomo 4. de Religione, Tractat. 8. Lib. 3. Cap. 1. num. 2. & P. Palaus Tomo 3. Disput. 4. de voto obedientiae, Punctio 16. num. 1. & quidem cum a nullo missi sint, non debent gaudere eorum privilegij, qui mittuntur: sunt namque intrusi, & intrusis nullum ius competit in iis, respectu quorum intrusi censentur. Doctores autem qui privilegia non videntur auferre, de illis loquuntur, quae Religioni generaliter adnexa sunt, & ad status decentiam pertinent, non de iis, quae specialibus Ministris ex peculiari delegatione ob ministerium commissum deferuntur. Res certe ex se videtur comperta, & omnino ita existimandum & practicandum a Praelatis, ne fugitios istos fauor in suo perniciosi recessu detineat, & fructum ac commodum ex continuatione criminis videantur reportare, contra sacrorum Canonum pronuntiatam: neque est simile quod habet P. Pellizarius Tractatu 8. Cap. 3. num. 17. vbi ait non esse improbabile Regularem, qui sine licentia Praelati, approbatus tamen ab Ordinario, Confessiones audit, vti posse privilegij suae Religionis: nam casus ille est singularis, & non adaequabilis, in quo absolute negant Miranda, & Emmanuel Rodericus apud eundem.

*Affertio 3. non frui sine Praelatorum licentia venientes.*

*Gemina ratio ex mente Pontificum.*

*Gratanter peccare recedentes.*

*Ex casu alio non bene argui.*

135 Dico quarto. Si Religiosus cum licentia Regis veniat, non obtinet subrepticie, sed quia Rex eum vult contra Praelatorum transmittere voluntatem; dici probabiliter potest non esse privilegiorum communicatione priuatum. Probatur; quia cum Regi cura mittendae

*Affertio 4. gaudere cum sola Regis licentia transire, privilegij Indici.*